nis, tam salubria quam insalubria, & quod meteora contrariæ conditionis, videlicet generationis & corruptionis, semper motu contrario moueantur: nam quæ ad corruptionem ducunt, retrogrediuntur ad principia, à quibus prius sunt progressa, atque etiam si perfecte misti naturam, cui se iungunt, in fortitudine superant, illam secum rapiunt retrorsum, per viam resolutionis, & more toxici in suam mutant naturam, vt in seminariis pestiferis, à meteororum venenosorum spiritu vndique dispersis, sat liquido indies explicatur. Sed huiusmodi motum, tam ad generationem quam corruptionem, optime & luculenter à nobis sectione 1. part. 2. part. 3. cap. 5. De Theosophico, Cabalistico, & Physiologico vtriusq; mundi discursu, descriptum inuenietis vbi agitur de principiis tertiani s, cuius nihilominus loci demonstrationem ocularem hoc in loco expressimus.

In generatione est progressio à radice 2. ad quadratum 4. & de eo ad cubum seu perfecte mistum 8.

8. Est terminus à quo & 1. terminus ad quem in corruptione.



1. Est terminus à quo & 8. terminus ad quem in generatione.

In corruptione est transitus à cubo 8. ad quadratum 4. à quo fit in radicem 2. resolutio.

Pro vlteriori huiusce demonstratione commendo vobis locum antea nominatum: Vbi quamuis mentionem fecerim de progressione in generatione à radice. 2. in quadratum 4. & ab illo in cubum 8. atque iterum de regressione in corruptione à cubo 8. ad quadratum 4. & à quadrato illo in radicem. 2. tamen vt mentem meam illa in re recte intelligatis, vos inprimis scire velim, quod vbi mentionē de generatione feci, ibi linearem progressionē creationis hominis, eiusq; à luce & tenebris primariis deriuationem intelligebam, atq; per motum incorruptione ab 8. ad 2. intendebā creaturæ humanæ reuersionem in primaria sua principia, à quibus primitus processit, quæ retrogressio non ante vltimum Pereat est expectanda, in quo etiam elementa in primaria sua simplicia sunt reducenda. At vero, in communi istius mundi alteratione, vel ad generationem vel ad corruptionem non fit transitus, nisi ab quadrato tanquam ab vltimis simplicibus, ex quibus mundus consistit ad cubum, aut retrogressio à cubo ad quadratum, quoniam simplicia corrumpi non possunt, sed composita, vtpote quæ ex contrariis naturis constituuntur; nam si elementa apta essent in sua primaria principia resolui, tunc mundus etiam corruptioni esset obnoxius. quippe qui ex elementorum nexu & aereo spiritu conflatur atque impletur. At vero jam ad causæ meteororum formalis descriptionem progrediar, quoniam de causa ipsorum materiali abunde satis (vti existimamus) hoc in libro sumus loquuti.

Libri 2. finis.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG